



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 10. Vtrum sit contra integritatem aliquid addere præter veritatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

se periculo omittendi aliquid, quod vere commisit; si autem illud dicat, nulli periculo se exponit; ergo tenetur eam eligere tanquam tutam. Præterea Concilium ait cōfitenda esse omnia peccata mortalia, quæ sunt in conscientia: ergo ita sunt cōfitenda, sicut sunt in conscientia: sed in eo casu sunt in conscientia, saltem dubia: ergo ita cōfitenda sunt, saltem ut illo modo possit iudex de illis iudicare, & ex cōiecturis arbitrium ferre de qualitate talis peccati. Tandem in eo casu secunda confessione, tenetur homo habere contritionem de tali peccato saltem ratione periculi: sed quod est de necessitate contritionis, est etiam de necessitate confessionis, ut supra dixi; ergo.

Secunda propositio.

Secunda propositio est, hæc peccata ut dubia cōfitenda esse, & non ut certa, ne decipiatur confessor in re graui. Nam valde diuersum iudicium ferendū est de peccato dubio, quam de certo: & quia in rigore, & moraliter loquēdo, dicere dubium pro certo, mendacium est: confessio autem debet esse fidelis & vera. Item in iudicio quolibet testis interrogatus non potest ut certā affirmare rem sibi dubiam, estq; id ex suo genere peccatū mortale: idem ergo in præfenti dicendum est. Vnde omnes auctores citati sentiunt, hoc esse simpliciter necessarium, quanquam interdum possit facile excusari poenitens si bona fide, & ex quadam simplicitate aliter confiteatur, ut specialiter aduertunt Caietanus, & Victoria. Oportet tamen considerare, hoc dubium triplex esse posse. Primo, an de illo peccato alias certo facta sit confessio, necne. Secundo, cum cōstet de facto, dubium esse potest, an sit mortale, vel veniale. Tertio, potest esse dubium de facto. In primo ergo casu, licet quis possit, non tenetur explicare dubium; quia factum est certum, & an fecerit confessum, necne, nihil refert ad præsentem confessionem: in aliis vero deobus casibus procedit dicta doctrina.

Caiet. Victor.

Tertia propositio.

Tertia propositio est, quando materia sic est dubia, adiungendam esse materiam certam, ne sub cōditione tantum perficiendum sit sacramentum: hoc enim vitandum est quoties fieri poterit.

Quale debeat esse dubium, ut hæc obligatio oriatur.

Solum superest ut exponamus quale debeat esse hoc dubium, ut hæc oriatur obligatio. Et ratio difficultatis est, quia homo interdum dicitur dubitare, quia non habet certitudinem, etiam si habeat iudicium probabile, quod formidinem non excludat. Aliquando vero dicitur homo dubitare, quia nullū assensum proferre potest in alterutram partē: & tunc maxime videtur difficile obligare hominē. Primo, quia in simili dubio de obligatione præcepti non tenetur homo seruare præceptum: sed in præfenti si homo dubitat hoc modo de suo peccato, cōsequenter dubitat de obligatione cōfiteendi illud: ergo non tenetur subiici illi obligationi. Secundo, quia hic videtur habere locum illud principium, in dubiis melior est conditio possidentis: sed homo possidet bonam famam & libertatem suam: ergo in hoc dubio præferendus est, ut nihil contra se agere teneatur. Deniq; si hoc dubium negatiuum sufficeret ad hanc obligationem, vix esset pax in conscientiis, quia facillimo negotio oriuntur hæc dubia.

Respondetur ad questionem.

Respondeo, tres gradus posse esse in hoc genere dubij. Primus est, quando homo probabiliter iudicat vnam partem, & de alia non habet iudicium probabile, sed suspicionem aliquam, vel timorē, aut formidinem: & tunc non est dubium quin homo possit, vel debeat sequi tale iudicium, ita ut si iudicet probabiliter se peccasse mortaliter, vel nunquam esse confessum tale peccatum, teneatur illud cōfiteri: & cōuerso si oppositū iudicat, exoneretur tali obligatione. Ratio est supra tacta, quia tale iudicium est suf-

ficiens ad regulandā humanam actionem: nam ex illo quāuis speculatiue incertum sit, colligitur iudicium certū practice de rectitudine actionis, vel omissionis sufficiens ad actiones humanas: quia maior certitudo regulariter excedit hominis vires: quod à fortiori patebit amplius ex sequenti puncto.

Secundus gradus est, quando pro vtraque parte habet iudicium probabile, quanuis in alteram cum maiori, vel minori probabilitate inclinēt: & tūc videtur res dubia, quia illud est probabile dubium, de quo loqui videntur auctores, & præsertim Nauarrus cap. 9. nu. 14. Nihilominus assero, quoties homo iudicat probabiliter se non peccasse mortaliter, vel iam esse confessum tale peccatum, etiam si contrarium habeat cōiecturas etiam probabiles, posse conformari priori iudicio, ut nō teneatur tale peccatum cōfiteri. Ita docuit in terminis Syluester, Cōfessio. 2. q. 1. Ratio vero est, quia homo in reb; practi- cis potest sequi opinionem probabilem, nō obstantē contraria probabili, vel etiam probabiliori, quādo in rebus ipsis non imminet aliquod periculum, ut latius tractatur in materia de Conscientia 1. 2. qu. 19. & 20. Et ratio est illa iam tacta, quia raro potest homo plenam certitudinem de rebus assequi: & id eo illud iudicium pro capacitate hominis censetur sufficiens ad inferendam practicā certitudinem. Et hoc etiam confirmant omnes rationes dubitandi positæ. Et declaratur amplius: nam si poenitens dicat confessori se habere tale iudicium de tali peccato, & velle sequi illud, confessor debet conformari illi in hoc, sicut in aliis rebus probabilibus: ergo à fortiori poterit poenitens illud omittere. Item, si principio habuisset tale iudicium circa talem actum de quo controuertitur, an sit peccatum, necne, post illud sequi sine peccato, & quando sunt opiniones probabiles, an in tali casu teneatur cōfiteri hoc peccatum necne, possum sine peccato id omittere: ergo similiter in dicto casu.

6

Nauarr.

Syluest.

Tertius igitur gradus est, quādo homo habet probabiles rationes dubitandi, & non potest determinari ad ferendum iudicium probabile pro altera parte: & in hoc casu procedit proprie communis doctrina, & de illo loquitur Nauarrus supra: & solum probatur rationibus à principio factis. Ad obiectiones vero in contrarium respondeo, huiusmodi hominem in illo casu, dubitare practice de obligatione cōfiteendi: neq; enim ex dubio speculatiue semper inferitur practicum; nam potius est certum in huiusmodi dubio esse sequendam partem securam, & tolerantē omne periculum. Illud vero principium, quod in dubiis melior est conditio possidentis, non recte hic applicatur: quia nō obligatur homo ad aliquid, quod excedat dubium, sed solum ad dicendum sub dubio id quod dubium est, de quo proprie loquēdo nullum est dubium: quia & ipsum dubium certum est, & certum est etiam integritatem huius iudicij postulare cognitionem huiusmodi dubiæ conscientie poenitentis: vnde nullum imponitur onus, quod ipsam rationem dubij excedat, & alias seruatur integritas iudicij. Negatur ergo illa consequentia. Dubitat an peccauerit mortaliter: ergo dubitat an cōfiteri debeat huiusmodi dubium: nam potius hoc ipso, quod dubitat de peccato mortali, certus est illud dubium esse dicendum in confessione.

Obiectiones supra posite sunt.

Regulam dubiæ conscientie est com- ditio possidentis ad- claudunt.

SECTIO X

Utrum sit contra valorem, debitamque confessionis integritatem aliquid addere præter facti veritatem.

INTEGRITAS rei, propria ac perfecta (ut per analogiam ad res naturales loquamur) sicut in consummatum numerum partium omnium, quæ

Quid sit in- tegritas.

quæ tali rei debite sunt, ita etiam excludit omnes alias, quæ tali rei non debentur, eamque monstruam potius reddant, quam integram. Ad hunc ergo modum de integritate confessionis philosophamur: & ideo, postquam visum est quid requiratur, ut confessio iurata non sit, superest videndum quid sit ab illa refecandum, ne monstruosa sit. Est autem generaliter verum, omnia illa, quæ materia confessionis non sunt, nec ad finem eius quidquam conferunt, esse à confessione refecanda, etiam si vera sint, quia, cum confessioni non sint necessaria, nec utilia, eam superflue onerant, potius, quam integrent vel perficiant. Nihilominus tamen ex hoc solo capite nunquam sit nulla confessio, neque grauis iniuria illi sit, quando veritas narratur: & ideo nihil aliud in speciali circa hoc dicere oportet, nisi quod hæc omnia omittenda sunt, quæ ad confessionem non conferunt, vel ad finem eius, posseque saltem venialiter peccari narrando superflua, etiam si vera sint. Peccatum autem graue tunc solum hæc de causa misceri posse, quando vel id, quod dicitur, cedit in grauem iniuriam alterius, vel constituit penitentem, aut confessorem in aliquo graui periculo peccandi, vel denique quoties per se esset graue peccatum, etiam si extra confessionem diceretur.

² Tota ergo difficultas præsens est, quando mendacium admiscetur, & ideo videndum est quale peccatum sit in confessione mentiri, & an ex hac parte possit esse nulla. Duobus ergo modis potest mendacium contingere in confessione: primo negando quod factum est: secundo affirmando, vel confitendo quod factum non est: & hoc posterius maxime ad præsertim pertinet, obiter tamen etiam expedimus illud primum. Deinde circa tria genera rerum potest in confessione mentiri: primo circa eas circumstantias, quæ nullo modo pertinent ad materiam confessionis: secundo circa materiam non necessariam, ut sunt peccata venialia: tertio circa materiam necessariam, ut sunt mortalia.

³ Circa primum genus rerum, per se loquendo, non est peccatum mortale, nec contra valorem confessionis miscere aliquid mendacium, siue affirmando: siue negando: sed est veniale grauius quam esset simile mendacium extra illum actum. In hoc conveniunt omnes Doctores citandi. Ratio prioris partis est, quia illud mendacium concomitantur tantum est in sacramento, & non sit materia eius, & ideo nec continet grauem iniuriam. Ratio vero alterius partis est, quia hæc ipsa concomitantia est aliquis indecentia contra sacramentum.

⁴ Circa secundam materiam vnum est certum, scilicet, mentiri in materia non necessaria negando factum, non esse peccatum mortale, nec contra substantiam sacramenti. In quo etiam omnes conveniunt, quos statim referemus, præsertim Soto in Opusculo de Secreto mēbr. 2. q. 7. ubi contrarium tribuit Caiet. qui 2. 2. q. 69. artic. 1. docere visus est, omne mendacium, etiam alias veniale, dictum in iudicio, vel externo, seu forensi, vel interno, seu sacramentali, esse mortale. Quæ sententia est sine dubio falsa, & quod attinet ad iudicium forense, alibi tractanda est: quod vero pertinet ad hoc sacramentum, ab eodem Caietano, vel declarata, vel retractata est in Summ. verb. Confessio, conditione vlt. ut non procedat in casu posito, sed in tertio statim tractando. Ratio vero huius partis clara est, quia hoc mendacium non est perniciosum, neque grauius iniuriosum ipsi sacramento, quia cum illo stare potest vera materia & forma, & dispositio necessaria ad effectum; & alias non decipit confessorem in re necessaria, & graui: ex nullo ergo capite hic probabiliter apparet malitia mortalis.

⁵ Quin potius addo, licet omnes auctores dicant hoc esse peccatum veniale, & ita verum sit supponendo esse mendacium, ut fortasse regulariter est,

A saltem ex conscientia erronea, tamen si quis sciat prudenter respondere, & ad mentem, quæ in interrogante esse debet, facile posse vitari mendacium, & peccatum veniale. Nam, quando iudex non interrogat iuridice, non mentitur aliquis negando factum, etiam si illud fecerit, quia non censetur simpliciter negare se fecisse, ut teneatur in illo foro illud reuelare. nam interrogatio iudicis ut sit iusta, ita intelligenda est, & negatio illi cum proportionem respondet: cum autem confessor interrogat in hoc sacramento, interrogat ut iudex: si ergo interroget de re non necessaria, & quam penitens reuelare non tenetur, potest penitens illam negare absque mendacio, in sensu dicto proportionaliter applicato. Hinc vero fit, si quis dicat hoc mendacium non interrogatus, sed proprio arbitrio, non posse à peccato veniali excusari, neque à mendacio, quia nec verba admittunt aliam legitimam sensum, neque esse potest aliqua rationalis causa illam intendendi, aut fingendi.

Dubium de peccato veniali confessio, & non commissio.

⁶ Maius vero dubium est quando mendacium est affirmatiuum de peccato veniali, quod aliquis non commisit: & tunc si materia illa esset totalis, manifestum esset sacrilegium, & peccatum mortale, quia nullum sit sacramentum. Sed difficultas est quando illa materia est tantum partialis, scilicet, quia inter alia vera peccata penitens confitetur aliquid veniale, quod vere non commisit. Et de hoc est multorum opinio, tale mendacium semper esse mortale peccatum. Vnde fit, talem confessionem esse nullam & ex defectu doloris, & ex defectu integritatis: quia illud ipsum peccatum non confitetur penitens: nam, si illud confiteretur, iam destrueret falsam confessionem venialis peccati. Citatur pro hac sententia Richard. Palud. Bonan. Caiet. Ledesma. Armill.

⁷ Richard. Palud. Bonan. Caiet. Ledesma. Armill. Citatur pro hac sententia Richard. in 4. d. 21. ar. 3. q. 4. sed ibi solum dicit esse peccatum. Palud. vero q. 2. n. 12. addit esse mortale. Bonan. 2. par. distinct. art. 1. q. 2. obcurius dicit tollere meritum confessionis. Latius & clarius Caiet. in Summa verb. Confessio. condit. 4. & iuxta ea, quæ ibi dicit, intelligendum videtur quod generalius dixit 2. 2. q. 69. artic. 1. omne mendacium in confessione esse peccatum mortale. Teneat etiam Ledesma. 2. p. 4. q. 5. artic. 4. dub. 4. & Armilla verb. Confessio. n. 5. Fundamentum esse debet, quia supponere formam sacramenti materiam falsam, siue integram, siue partialem, est peccatum mortale: sed ita fit in illo casu: ergo, Maior patet, primo, exemplo à simili, si quis ad consecrandum poneret plures hostias: quasdam triticeas, alias hordeaceas: nam sine dubio peccaret mortaliter. Secundo ratione, quia efficitur forma falsa, quia sensus formæ est vniuersalis respectu materiam in quam cadit, ut in exemplo adducto cum dicitur, Hoc est corpus, &c. illud, Hoc, designat totam materiam præsentem, de qua falso dicitur esse corpus: & similiter in presenti verbum Absolutio, significat absolutionem ab omnibus peccatis confessis, quod est falsum, si aliquid peccatum reuera commissum non fuit, nam ab illo nemo absolui potest. Vnde concluditur tertio, hanc esse grauem iniuriam, & irreuerentiam sacramenti, ergo peccatum mortale: nam ex suo genere tale est, cum sit sacrilegium, & in individuo semper habeat materiam, & circumstantias graues.

⁸ Nihilominus est secunda sententia, quæ negat esse peccatum mortale, per se loquendo, hoc est, secluso scandalo, & contempnu. Teneat Angelus verb. Confessio, i. n. 16. & 17. & Syluest. ibi q. 8. Soto dist. 18. q. 2. artic. 4. & Petrus Soto lect. 10. de Penitentia, & Nauarr. cap. 21. num. 37. Nobisque necessarium est, consequenter loquendo, idem sentire: nam supra diximus, confiteri aliquid veniale sine proposito emendationis, vel dolore, non esse peccatum mortale, quando